



Disputatio juridica inauguralis de arbitris

<https://hdl.handle.net/1874/343275>

30.

DISPUTATIO JURIDICA
 INAUGURALIS,
 DE
 ARBITRIS,
 QVAM,
 FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
 JOANNIS GEORGII GRAEVII
 Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-
 ris Ordinarii,
 NEC NON
Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,
 PRO GRADU DOCTORATUS
 Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
 ritè & legitimè consequendis,
Eruditorum examini subjicit
 GUILIELMUS FOYER T. Aren. Gelr.
A. D. 1. Septemb. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
 Typographi, clc Ioc xc.

Illustrissimo & Excellentissimo
DOMINO
O S W A L D O ,
COMITI de MONTE,
MARCHIONI BERGÆ ad ZOMAM
COMITI de WALHAIN BOXMEER
& CHAMPLYTE,
BARONI de BYLAND, WISCH,
PERRUETZ
DOMINO de DIXMUYDEN, HAPS
BÄRSEL, SAMBEECK, BRAINLALUET
HOMOET, MILLINGEN, GENDRIN-
GEN & ETten,
BARONI HÆREDITARIO DUCATUS
GELRIÆ & COMITATUS ZUT-
PHANIÆ, &c. &c. &c.

Obsequiose venerando

Hanc disputationem inauguralem

Cum devotissima sui commendatione, debi-
teque observantiae & gratitudinis ergo

sacram facit

G U I L I E L M U S A E O Y E R T .



III
DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
ARBITRIS.



N variis hominum controversiis lex humanitatis plena varios introduxit mediatores, qui legitimis cognitionibus lites tandem diriment; quos omnes Juris-Consulti generaliter *judices* appellant, ut postulantibus jus dicant, quales *judices* sunt aut *ordinarii*: aut *delegati*: aut *compromissarii*, & hinc arbitros etiam *judices* appellari dictat *l. pen. ff. de judic.* ut partes litigantes eo facilius inter se sine strepitu convenire possent, & minores sumptus & expensas facere cogantur, nam in similitudinem judiciorum *arbitrii compromissarium* redactum est *l. i. ff. de recept. arbitrii. & l. 14. vers. (vel qui ex receptis) Cod. de jud.*

II.

Est autem *arbiter compromissarius judex*, qui *pœnali ex compromisso*

4 DISPUTATIO JURIDICA

missio litigatorum sumptus l. 5. Cod. de recept. arb. l. pen. ff. de judic.
ultrō id recepit, l. 3. §. 1. ff. b. t. de controversia ipsorum libere cognoscit & sententiam dicit.

III.

Judex, dict. l. pen. ff. de judic. l. 5. §. ult. ff. de verb. obl. autem
arbitrii, quod & arbitrium dicitur, l. 16. ff. de recept. arb. & l.
21. §. 9. ff. eod. cum liberam facultatem judicandi habeat, specia-
liter vocatur arbiter, item *judex compromissarius*, l. 14. ff. de recept.
arbtr. unde & ejus sententia vocatur arbitrium l. 12. §. 1. eod.

IV.

Priusquam enim ad arbitrium *Compromissarium* pergamus, pau-
ca de arbitrio ipso sunt dicenda, & primo quidem de necessitate qua
cogitur arbiter recepto arbitrio cognoscere de controversia litigatorum, & deinde de officio arbitri.

Nemo enim invitus tenetur suscipere arbitrium, susceptum
vero implendum, l. 3. §. 1. ff. de recept. arb. ut etiam quotidianæ
constitutiones Gelr. Landr. van Nymeg. tit. 7. art. 3: recepisse au-
tem arbitrium videtur, qui ex compromisso litigatorum partes
suscepit, & sua sententia finem controversiis se inpositurum pol-
licitus est l. 13. §. recepisse ff. b. t.

V.

Quod ad officium arbitri attinet, consistit in interloquendo,
cognoscendo, & litem sententia finiendo; nihil autem extra com-
promissum jubere aut facere potest arbiter, quam illud de quo
compromissum est, nisi partium consensu, & ideo necessarium
est adjici de die compromissi proferenda, ut potestatem proferendi
diem habeat arbiter l. 22. §. 11. & 15. ff. de recept. arbtr. & sic inu-
tilis est interlocutio arbitri, qua dicit, ad judicium de isthac lite
a deun-

I N A U G U R A L E S .

adeundum, vel ad se vel ad alium, in se vel in alium compromitendum l. 32. §. 16. ff. de recept. arb. si quoque jubeat sibi alium conjungi, cum id in compromisso cautum non sit, inutilis est interlocutio dict. l. 32. §. 17. ff. h. t.

V I.

Jam de Compromisso ipso. Compromissum Juris-Consultis frequens & usitata vox est tot. tit. ff. & Cod. de recept. arbitr. & Ciceroni quoque usurpata; Græci ὑποτροφίαν καὶ ὑπότροφον δικαστικόν, compromissum vocant. Estque *mutua litigantium promissio de controversia sua*, certo cuidam, vel nominato viro, uni vel pluribus, committenda, ut is vel illi de ea cognoscant, & quam ille vel illi sententiam dixerint, stare se velle.

V II.

Data definitione videndum nobis erit, qui, & in quem compromittere possunt, qua de re compromissum fieri queat, quis modus & forma sit compromissi, & ultimo quibus modis compromissum finiatur.

VIII.

Compromittere possunt omnes, qui liberam rerum suarum administrationem & legitimam personam standi in judicio habent l. 22. §. 8. & l. 35. ff. de recept. arb. unde haec ab interpretibus facta fuit regula, qui possunt transfigere, etiam de eadem re possunt compromittere; nam compromissum speciem transactionis esse docet Dyn. cons. 45. & sicuti non valet transaction super re non debita ita neque compromissum Alex. cons. 22; & sic in tantum compromissum transactionis speciem esse, ut statutum prohibens fieri transactionem, etiam comprehendat compromissum per æquipollens; maxime quando compromissum est de jure, & facto,

6 DISPUTATIO JURIDICA

quia tanquam quædam transactio debet impleri & declarari; quæ regulæ in mulieribus exceptionem patitur, quæ alieno nomine compromittere non possunt, quia pro aliis intercedere nequeunt l. 32 §. 2. ff. de recept. arbitr. ut & impuberis sine tutorum auctoritate l. 27. §. 5. & l. 35. de recept. arb. neque servi l. 32. ff. eod. neque illi qui consentire nequeunt, ut furiosi mente capti &c. dicit l. 27. §. 5. sic etiam procurator, nisi habeat speciale mandatum & liberam administrationem arg. l. 38. ff. de procurat.

I X.

Compromittitur in quemvis, quem nec status nec conditio removet, nec etiam ætas; & parvi resert ingenuus quis an libertinus sit, integræ famæ quis sit arbitrer, an ignominiosus, l. 7. ff. de recept. arbitr. In minorem annis 20 compromittere verabata lex Julia, l. 41. ff. de recept. arb., verum tamen hodie sufficit si 18 annorum sit arg. l. 57. ff. de re judic., ubi talis judex esse potest, si tamen partes hoc sciant ut à judice detur, c. cum vigesimum 41. x. de officio deleg.; Filius etiam familias de re patris arbiter esse potest l. 6. ff. de recept. arb. In fæminam vero jus civile non approbat compromissum, ob l. fin. Cod. de arbitr. recept., quæ ita habet. *Mulieres sua pudicitie memores, & operum que eis natura permisit, & à quibus eas jussit abstinere, licet summa atque optime opinionis constitute in se arbitrium suscepserint, vel si fuerint patronæ, etiam si inter libertos suam interposuerint audienciam, ab omni judiciali agmine separari, ut ex earum electione nulla pena, nulla pauci exceptio adversus justos earum contemptores habeatur.* Nam arbitrari virile est officium, nisi tamen legge aut consuetudine jurisdictionem habeant, c. dilecti 10. extra de arbitris: Cujac. lib. 13. observ. cap. 23. nam cui quod plus est licet ei quod minus est non debet denegari.

X.

X.

In servos autem, pupilos, surdos & mutos factum compromissum non valet, l. 9. §. 1. ff. de recept. arb. l. 7. §. 1. ff. eod. l. 12. §. 2. ff. de judic., & si quis de re sua arbiter factus sit, sententiam dicere non potest, l. unic. Cod. ne quis in sua causa, cum imperare sibi, neque prohibere se quisquam possit, l. pen ff. de recept. arbitr., potest tamen esse arbitrator.

X I.

Compromissum in judices factum de iis causis, in quibus judices sunt, nullum est l. 9. §. 2. ff. de recept. arb., quæ inquit: si quis judex sit, arbitrium suffipere ejus rei, de qua judex est, inne se compromitti jubere prohibetur &c., l. 4. ff. de tuor. & curat. dat. ab his; & ratio est, quia judex inciperet sustinere personam duorum, judicis scilicet ordinarii, & arbitrii, id est duas personas contrarias, quas una & eadem persona non admittit; Judex enim jubetur judicare, ut jure proditum est, §. 1. Inst. de offic. jud.; Arbitrus vero, secundum bonum & æquum, sententiam dicit, l. 76. in verb. arbitrorum ff. pro socio. Unde hæc oritur quæstio; An in judicem ordinarium a litigatoriis factum compromissum valeat; ab crientium recedere sententia nobis est religio per l. 9. §. 2. ff. de recept. arb., & dic. l. 4. ff. de tutor. & curat. dat.; verum quidem in arbitratorem, & benevolum ut vocant compositorem compromitti haud dubie potest: Carpzov. p. 1. c. 1. d. 15. num. 7. § 8.

X I I.

Cum, an compromissum factum sit tanquam in arbitrum, an tanquam in arbitratorem, maxime interfit, l. 76. in verb., arbitrorum ff. pro socio, quia compromissum sine pena aut stipulatione

8 DISPUTATIO JURIDICA

tione olim valebat, hodie vero non. *Nov. 82. de judic. cap. II.*
quia vero: nisi secuta sit acceptatio expressa vel tacita *l. pen. Cod. de recept. arb.*, neque ad producendam actionem, neque ad exceptionem, *l. 1. Cod. l. 2. & l. 32. §. 1. ff. de recept. arb.*, & hinc est quod semel commissa pena solvebatur compromissum, nisi actum esset, ut in singulas causas compromitteretur *l. 34. §. 1. ff. de recept. arb.*; Sed in arbitratores & benevolos compositores & olim, & hodie sine pena valet, ut ex eo detur actio, nimisrum ex contractu ipso, in quo adhibebatur conventio, ut pro socio in specie *l. 76. in verbis, arbitrorum ff. pro socio aut ex condicto, argum. l. 24. ff. locat. cond. alioquin ex nudo pacto in hoc casu nunquam agi potuit, à quo casu tamen est exceptio in lege 11. §. interdum ff. de recept. arbitr.*

X I I I L.

Non tantum unus, sed & plures, pari vel impari numero possunt eligi, melius tamen est, si plures elegantur, assumi eos in dispari numero, cum inter D. D. maxima lis sit, *an compromissum in duos factum, cum potestate eligendi, valeat:* affirmantium opinioni subscribere parati sumus; si tamen in dicenda sententia dissentiant, eos prætor coget eligere tertium, cuius arbitrio, aut sententiæ stabitur *l. 17. §. 6. ff. de recept. arb.*; Ipsi quoque litigatores, duobus electis arbitris, mandare possunt, ut si dissentiant *Sempronium* assumant; si autem generaliter dictum sit, ut tertium elegant, illud compromissum nullum est quoniam in eligendo tertio dissentire possunt *l. 17. §. 2. & seqq. ff. de recept. arb.*

X I V.

Si in tres compromissum sit, & duo consentiant altero praesente, licet dissentiente, valet compromissum *l. 17. §. ult. ff. de recept. arb.*; *quia* (inquit Ulp.) *in plures fuit compromissum, & potius presentia ejus trahere in aliam sententiam;* quod in judicibus quoque

I N A U G U R A L I S .

quoque idem juris esse nobis demonstrat l. 18. ff. de recepe.
arbitr.

X V.

Compromittitur super quavis re, & omnibus controversiis : Excipiuntur tamen 1. *Cause criminales*, quia privato arbitrio non sunt remittendæ, sed vindicandæ authoritate publica : 2. *Cause liberales*, l. 32. §. 7 ff. de recept. arb. cum seqq.: 3. *Cause matrimoniales*, cap. 9. in *fin extra de restit. in integr.*, ne alias contingat matrimonia dissolvi, aut conciliari contra canones: super *re judicata male compromittitur*, ne publico privatum prævaleat cap. xi. de arbitr. 4. *Cause ingenuitatis & libertatis*; ut & neque compromissum de actione populari valet, quod clare *Paulus* demonstrat in l. 32. §. 6 ff. de recept. arb., sic etiam compromissum generaliter factum, cum clausula, *quod omne, super quod fuerit latus datum, censeatur, & sit commissum*, non valet, quia lites futurae non veniunt in compromisso: sed si compromissum factum sit de omnibus litibus, quæ sunt & esse possunt, valet, & talis clausula, *quod censeatur & sit compromissum &c.* non comprehendet turpia & illicita, de quibus in specie compromittere partes non possunt.

X V I.

Modum compromittendi quod attinet, non aliter sit *compromissum*, quam si pecunaria utrumque poena promittatur, ut si non stetur arbitri sententiae, in eam poenam, pars quæ fallit alteri parti sit obligata, l. 11. §. 1, 2, & 4. l. 32. in princ. & §. 3. ff. de recept. arb. Ita etiam *compromissum* nudo pacto factum valet, l. 11. §. 3. ff. de recept. arb., & inde datur exceptio l. 13. §. 1. od. h. r.

B

XVII.

10 DISPUTATIO JURIDICA

XVII.

Est & alius compromittendi modus, quo res apud arbitrum deponitur eo pacto, ut eidet, qui vicerit, aut eam det, si non paruerit sententiaz, l. II. §. 2., in verb. quid ergo, ff. de recept. arb.

Quibus etiam & ille usitatus compromittendi modus accedit, quod compromittitur de omnibus rebus, vel controversiis collective, aut singulis distributive, quale compromissum plenum vocatur l. 27. §. 6. ff. de recept. arb.

XVIII.

Talis vis est compromissi, ut arbiter, qui arbitrium recepit, cogi possit sententiam dicere; arbitrium quidem liberum est, cum vero quis suscepit, est implendum, l. 3. §. 1. ff. de recept. arb. Viv. lib. 1. observ. 57.: dictietiam secundum formam, qua compromissum, non erat olim ea vis, ut actio inde daretur l. 2. ff. de recept. arb., nisi ad pecnam, si qua promissa, vel si promissum stari arbitrio simpliciter, actio incerti erat, l. 27. §. pen. & ult. ff. de recept. arb., quia in re distinguitur à sententia, ex qua actio est, l. 61. ff. de re judic.; Et quod lex. 1. ff. de recept. arb. dicit, in similitudinem judiciorum arbitrium compromissarium redactum esse, non est intelligendum, quod tanta vis sit arbitrii, quam sententiaz, sed tantum quoad ordinem procedendi, qui & hic servandus est, quemadmodum in aliis iudiciis.

XIX.

Nam multis allis in casibus differunt, cum arbiter à privatis, tot. tit. de recept. arb.; Iudex vero à magistratibus detur, l. 12. Cod. de judic.: ita etiam si sit compromissum, ut arbiter certam sen-

sententiam dicat, non valet, *l. 19. ff. de recept. arb.*, quod in judece contrarium obtinet *l. 26. de re judic.*

X X.

Differunt etiam, *tum* ratione ipsorum litigantium, in eo, quod judicium reddatur in invitum, *l. 83. §. 1. ff. de verb. obl.* compromissum vero non nisi inter volentes; *tum* etiam ratione effectus, qui consistit in eo, quod à sententia judicis licet appellare, ab arbitrio vero appellare non licet neque permissionem est, *l. 1. ff. de recept. arb.*, nam ejus sententiæ standum est, sive æquæ, sive iniquæ, *l. 27. §. 2. ff. de recept. arb.*, cum imputate sibi partes debeant, quod libera voluntate in arbitrium consenserint, ejusque sententiam homologaverint: *Fabrin lib. 8. contr. 94.*, nisi de appellatione inter partes expresse sit conventum, *dicit. Landr. van Nymeg.* Si tamen gratia aut sorribus corruptus probetur arbiter, iniquum arbitrium dixisse, potest post decem dies exceptione doli repellere agentem *l. 3. Cod. de recept. arb.*

X X I.

Jure vero codicis nascitur actio in factum & exceptio ex sententia arbitri, in quem consensum nudo pacto modo fuerit homologata, *id est*, expresse vel tacite, per lapsum decem dierum confirmata *l. 4. & pen. Cod. de recept. arb.* Nam intra decem dies resilire licet sine præjudicio, quia ex pacto nudo actio non nascitur, nisi fuerit appositorum juramentum, *dicit. l. pen. in princ. verific. exceptis, Cod. eod. b. t.*, quod tamen hodie Imperator sustulit, prohibens cum jurisjurandi cautione judicari; *Nov. 82. cap. 9.*, sed per pœnam obstringi partes maluit. quam pendant, si arbitrio non steterint, ne ex hoc in perjurium incident homines, propter judicium ignorantiam pejerare compulsi *dicit. Nov. 82. cap. 9. §. 1.*

42 DISPUTARIO JURIDICA INAUGURALIS.

X X I I.

Sequuntur jam modi quibus compromissum dissolvitur, & quidem, primo finitur morte unius ex dissentientibus, quia in hæredem non transit, nisi illud specificè & nominatum actum sit l. 27. §. 1. & l. 49. in fin. ff. de recept. arb. c. ult. extera de arbitris: sic etiam illud solvitur compromissum, si pena compromissi alteri accepto lata sit l. 13. in prim. & l. 32. §. 3. ff. de recept. arb.; & si res de qua compromissum & controversia erat interierit, nisi quid litigantium intersit, dict. l. 32. §. 5. & c. ex parte 10. extra de arbitris. Potest interesse litigantium, si res extincta de fructibus aut partu controversia supersit, l. 16. ff. de rei vind., quod etiam in casu dict. cap. ex parte 10. extr. de arb. valet; aut si promissor desinat esse solvendo, aut quia bonis cessit, l. 17. in prim. ff. de recept. arb:

X X I I I.

Sic etiam compromissum finitur litigiorum pacto, quo alter alteri compromissi penam remittit l. 34. §. ult. ff. de recept. arb. Adhæc quoad arbitri officium, dissolvitur compromissum iudicio, puta si vel unus, vel ambo, rem in iudicium deduxerint, quia, ut dicit l. 30. ff. de recept. arb. pena non potest esse, aut pena semel sit commissa l. 32. §. 1. ff. eod., veluti si non pareatur præcepto, sive interlocutioni arbitri, puta si is, quem adesse jussit, non venerit, vel si cum arbiter, cui hoc permisum erat, jussit diem proferri, litigantium aliquis noluerit diem proferri l. 34. §. ult. ff. de recept. arb.

F I N I S.

J I X X

c. 4

C O-

COROLLARIA.

I.

Dolus dans causam contractui bonæ fidei reddit contractum ipso jure nullum.

II.

Ad præscriptionem servitutis non opus est titulo.

III.

Contractus metu initus subsistit, sed ex edicto Prætoris est restituendus.

IV.

Tutoris datio est jurisdictionis legitima.

V.

Filius fideicommisso gravatus, duas quartas detrahere non potest, propter l. 6. Cod. ad SCtum Trebell.

VI.

Inviti adolescentes Curatores non accipiunt præterquam ad litem §. 2. Inst. de Curat.

VII.

VII.

Unica interpellatio constituit debitorem in mora.

VIII.

*Tutor datus emancipato non est testamentarius,
sed dativus.*

IX.

*Filius fam: de bonis adventitiis, quorum usus-
fructus patri non acquiritur, testari nequit. I.
pen. Cod. q. testam. fac. poss.*

FINIS.



Erudito

Eruditus & ad quavis praelata nato

V I R O J U V E N I

D. GUILIELMO FOYERT.

Gradum DOCTORATUS in UTROQUE
JURE maximo suo merito consequenti.



Oc^te Pater doctus Wilhelme
ANTONIUS olim
Esse dedit tibi, sed studiorum
* ANTONIA mater
Esse dedit bene, Te ritus ac
scita togata

Perdocuit gentis, docuitque ænigmata legum,
Fasque nefasque: hinc jure die hoc transcribere
festo

Inter Doctores, meritoque ornaris honore.
Vivito Doctorum nova gloria, vivito felix
Non paucos sine nube dies: Patris inclita virtus
Atque Viri Fratris magnum & memorabile no-
men

Incitet ad majora, tuo conamine digna.

* *vetus nomen Ultrajecti.*

G. J. T E R K I N D E R.

BRUNNUS Q. IN ALEXANDRIANIS MUNIBUS

A L Y O U R A N I

D C U T I R I W O R O F F R T

GAGAE DOCTO RIA S A U T R O D A R
LUX INGENIO S E S T E S O H E D E S

S E C U R A T I O N E O D S P I R I T U S A V I P E R M O

A M T O N I S O M I

N E D O R I S H I T E S T I M O N I O M I

* T M T O N I A M I C R

E C J O R D I P A S T E D T H I S S O

I G R E J O R D I S T E

L U C C H I T U M B R I S C O N D I S S E S L U M B

P E D I S B E F I D E S T H I C K L A S S I S P O C H U C I P A S

E F F O

T H E T O M A T H E T O D E S T E R E P O D E S

A V I U O D O G O T U M T H O S A L O T E R I V I O R I E S

M O D B E E S T H I C U N D E S T I S : P U T I S I N Q U I S A I S

A D E S A T I T H E R I S T H O U T T E S T C O N T O P I S S O N

W E T

T H E C E T U M M A J O R T H O C O N D I S S E S

W E T

E L T L R K I N D E R